



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 429. De mansis traditis in villa Badvaldun intra pagum Fleithi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

Ab anno
1001 vs-
que 1010
imperan-
te Otto-
ne III.

§. 429.

Tradidit rainbaldus X mansos in *badualdum* (p) pro thiadmaro proximo suo et pro coniuge sua heteluuif.

§. 430.

Tradidit brun pro rethario ep̄o I familiam in *hambanhus* (q) et quidquid ibi habuit.

§. 431.

dam, qui in eadem villa quædam largitus est, verisimillime posteris *Luidolfi ducis* esse adnumerandum. Ipsum fuisse *Hiddi*, qui, mortuo *Brunone* comite Brunsvicensi, aduocatus erat Corbeiensis, audacter quidem pronunciare non audemus; confidimus tamen, neminem facile esse negaturum, nomen *Hiddi*, *Haddo* et *Hoda* esse vnum idemque, vti iam supra vidimus. Cum vero *Bruno*, pater aduocati Corbeiensis *Hiddi*, hoc tempore adhuc in viuis fuerit, fortassis noster *Hoda* ipse *Brunonis* comitis frater fuit. Sic autem *Hiddi* aduocatus Corbeiensis a patruo suo nomen suum accepisset. An *Hoda* nostri vxor *Benike* propter bona in pago Huuetigo possessa exorta censenda sit et stirpe *Widikindea*, id in medio relinquimus.

De villa
Badval-
dun in
pago
Fleithi.

- (p) Villam *Badualdum* tribuit abbas Saracho pago *Fleithi*, quem in aliqua parte *Hildesheimensis* episcopatus ac ducatus Brunsvicensis existisse, iam supra intelleximus. An designetur vicus *Barveld* in præfectura Gronau in episcopatu *Hildesheimensi*, non procul a vico *Beitlen*, statuere nondum audemus, siquidem eo vsque pagus *Fleithi* haud procurrit. Villa hæc *Berevelte* erat anno 1022 in pago *Valerhungun* seu *Falhen* sita, testante diplomate S. Bernwardi episcopi *Hildesheimensis*, per quam si denotatus intelligatur vicus *Barveld* in præfectura Gronau situs, *Bortfeld* in Principatu *Wolferbuttelensi* sub ephoria ecclesiastica *Thidensi* villa *Badualdum* vicus *Barveld* esse non potest, sed illa potius inter desolatas villas videtur recensenda, cuius situs nobis nondum est cognitus. Res erit plana et perspicua, si e documentis monasterii S. Michaelis in *Hildesheim* eruditi demonstrant, vtrum id monasterium bona possideat vel possederit in *Barveld*, an vero in *Bortfeld*. Quomocumque autem res sese habeat, putamus tamen, *Rainbaldum* verisimillime ad progenitores *Northimensium* comitum referendum videri, et fortasse eundem fuisse, quem deprehendimus supra (§. 405). Si quid coniectando valemus, parum abest quin arbitremur, subesse locum *Bodenburg*, a castello post hæc dictum, antea adpellatum *Bodfelden*. Locum a *Bodone* fuisse cultum et extructum, vtroque est verum.

De villa
Hamban-
hus in
pago
Nithega.

- (q) Villa *Hambanhus* erat, teste *Sarachone*, sita in pago *Nithega*. Intelligimus ergo, designari vicum *Hampensen*, in episcopatu *Paderbornensi* inter vicos *Rheer*, *Brakel*, *Erklen*, *Heinholte* et *Fronhufen* reperiendum. E situ huius villæ æstimare licet, *Brunonem*, qui in eadem villa bona quædam largitus est, ad stemma *Brunonianum* pertinuisse. Supra enim vidimus, posteros *Brunonis*, *Angariorum* ducis, et inprimis posteros *Luidolfi*, *Saxonie* ducis, in eadem regione bona hereditaria possedisse. Qui ergo *Bruno*, qui in villa *Hambanhus* bona quædam tradidit, alius esse poterit, quam *Bruno comes*, aduocatus *Corbeiensis* et filius *Ecberti* monoculi? Patet id euidentissime e *Chronico* nostro *MSpro* et coætaneo, in quo hæc verba leguntur: anno *MVIII pridie non. Martii obiit retharius patris brunensis ep̄us. cantauimus et requiem, petente ita brunone aduocato n̄ro et cognato suo*. Hæc verba si attente consideramus, ad credendum inducimur, 1) *Retharium* episcopum, in traditione nostra occurrentem, fuisse ipsum *Paderbornensem*, qui, teste auctore *Vitæ Meinwerci* Tom. I. Leibn. p. 522, eodem anno et die eductus est de ergastulo carnis et de valle huius miseria et tribulationis, assumptus, ut credimus, ad gaudium sempiternæ consolationis; 2) *Reib-*